

# HECATOMBE

Lectorum ex Vitâ, Morte,  
Miraculis,  
SERVI DEI  
IOANNISCANTII

S. Th. Doctoris & Professoris

ACROAMATVM.

D. O. M.

Vt laudetur Dominus in Sanctis  
suis, cum debitâ Infinitæ Maiestati suæ Gratia-  
rum actione, votoq; pro felici decursu & successu expeditæ  
in Causâ eiusdem SERVI DEI

COMMISSIONIS.

Per

*Nobilem ac Generosam Almæ Vniuersitatis Cracouiensis Iuuen-  
tutem propensissimo in Diuum Tutelarem suum, totiusq;  
Regni Poloniæ Patronum affectu,*

DEVOTA.

Anno Domini 1668. Nono Cal. Iunij.

CRACOVIA,

In Officina ALBERTI SIEKIELOWICZ, S.R.M. Typ.





S. D. N.  
**CLEMENTIIX.**

Pontifici Optimo Maximo;

*In pignus subiectionis perpetuæ*

Ad oscula pedum sãctitatis suæ supplicabundi  
deponunt.

S. A. C.

Roma Orbis PrInceps, cLaris speciOSA triVmphIS  
Occine; O! viuat: cuius noua sidera cIgnI  
Suaue Sonant nomen, fatis multumque pRobato, aD  
Primæui apPlaudunt cognOminis organa lusV  
Intende ac audI, fixis moduLamen in a striS  
Linguasquè in cœ L centum cognosce supremO  
Immensi quæ Scita Del, fatiquè penetraL  
Occultum, pandVnt: clarèque loQuuntur: ab ipso  
Successor Dignus Petri & ChriSti vicerectoR  
Vt fuerit delectus numine! nomen Vt illi  
Subscripsit DeVS è cœLO, pRo nomine Petrus.

P-17-f-123

2°-761



I.  
*Patria D IOANNIS CANTII*

*KANTY seu Anguli.*

**A**ngulus est ubi natus eras : rectissimus ille !  
A quo tu vitæ linea recta venis.

*CASIMIRVS à Szczekarzowice TARLO Palatinides, Sendomiriens. Cursus Philosoph. Auditor.*

II.

*Parentes eiusdem Stanislaus & Anna,*

*Allusio ad locum mortis & sepulturæ.*

**S**tanislaus erat cultus tibi more Parentis  
Antistes Craciæ ; quæ tua busta tenet.  
Et quâ magna Parens nata est, ea Mater alumnum  
Post mortem, gremio te fouet usq; suo.  
Anna Parens, Genitor tibi Stanislaus : eosdem  
Natus maiores atq; renatus habes.

*ALBERTVS de Zboin ZBOÏNSKI, Castellanus Dobriniensis, Philosoph. Auditor.*

III.

*Nomen Cantij Ioannes Baptista cuius festo natus erat.*

**Q**ui lucem venit mundo perhibere Iohannes,  
Cantio & hanc simul & nomen is ipse dedit.  
Numquid & officium ? sanè Præcursor uterq;  
Iesu : natus hic, at mortuus iste fuit.

*IACOBVS WALEWSKI, Castellanus Sptimiri. Auditor Philosoph.*

IV.

*Nomen Cantij harmonicum : Ioannis gratiosum.*

**G**ratia nomen habes, cognomen ab harmonicis est  
Deductum modulis ; dulcis utrinq; sonus !  
Finxerit in cælo ambrosiamq; lyramq; vetustas !  
Gratior omnibus his Cantius vnus erit.

*STANISLAVS de Stupow SZEMBEK Capitaneides Becensis. Cursus Philosoph. Auditor.*

V.

*Agnomen Cantius ex vernaculo angularis.*

**A**ngulus agnomen tibi dat dignissimè Cantii :  
Ortum quibus, te dixero Maioribus ?  
Non dicam de carne, viri de sanguinibusq;  
Sed Deo natum loquar pijsimè.

**Az Quidni**



Quidni sic? cognata tibi cognomina Christi:  
Cum Christus, angularis ipse sit lapis

IOANNES ŁĄCKI, Capitaneides  
Nacensis. Auditor Philosophiæ.

VI.

Nomen Ioannis Cantij, alter Præcursor.

Alluditur ad tempus mortis eius, Peruigilium natalis Christi.

Vox in deserto clamantis primus IESU,  
Præcursor fuerat; vox fuit alter item.

Vox fuit at Bethlemitico nascentis in antro:

Quam sibi concordant! clamat hic iste canit?

PRECLAVS de Stupon SZEMBEEK, Capitanides  
Becens. Auditor Iurisperitiæ.

VII.

Studia ad Academiam Crac. nouitèr fundatam venit tractaturus.

Columna Sapientiæ Domus.

IN Lechiæ Regno Sapientia vt ædificaret,  
Septenis basibus constituendo Domum,  
Excutiendus erat terræ sibi & angulus omnis,  
Et firma huic operi danda columna fuit.

Montibus ex Lechicis ergo deducitur ista,  
Atq; rudis Craciam perpolienda venit.

IOANNES de Obori OBORSKI, Capitaneides  
Sochaczowiei. Auditor Philosophiæ.

VIII.

Fundamentum Sapientiæ humilitatem iacit.

Altissimam profunditatem Cantius.  
Scrutatur humilitatis, omnibus suis  
In actionibus prius; fundamenta  
Sapientiæ corde antequam ponat suo.  
Quam firma basis hæc est! cui scientiæ  
Super imposita domus, furentium graues  
Haud accipit aliquando flatus turbinum.

Martinus OLSZEWSKI Procancell. Regni  
Nep. Auditor Philosophiæ.

IX.

Laureis in Academiâ decoratur.

Sic depressa basis, lauru tamen illa virescit:  
Totius hæc operis namq; coronis erat.

IOANNES BEDLINSKI, Capitaneides  
Mussii. Auditor Philosophiæ.

X.

Laurea



*Laurea simul & albicans rosea corona illi offertur.*

**D**octrinæ concessa tuæ est Academica Laurus ;  
Quid vitæ innocuæ ? casta corolla poli.

IOANNES BIAŁOBŁOCKI, Notar.  
Pomerania. Auditor Philosoph.

XI.

*Laurus sacra, nam per Cantium, cælo illata.*

**N**unc verè sacra laurus eris quæ tempora Divi  
Exornas : erat hic summus Apollo tuus.

Quinimò Præses Phœbo sacratior ipso,  
Contra tempus edax certior atq; salus.

Et sacra & sublimis eris : qui te intulit astris,  
Verè sublimem fecit & ipse sacram.

IOANNES DOBRSKI, Notar. Skar-  
szowskiensis. Auditor Philosophie.

XII.

*Presbyter factus nullam diem celebrandi inter-mittit.*

**V**ñâ quâq; die mysteria sacra, tremendi  
Perficit officij, mens sociata Deo.

Cum supra pectus Domini semel ille recumbit  
Discipulus : quantas heu legit inde dapes !

A Domino quæ tu recipis sacra dona Ioannes ?  
Quando tuo toties pectore discubuit !

GABRIEL SMOTANKA, Vice-Capi-  
tan. Cracoviensis. Auditor Philosophie.

XIII.

*Ad Iustitiam erudit verbo & scripto.*

*Conturbare caue non est placare suavè,*

*Magnæ Divus vindex lingue*

Romanæ fidicen iocose Musæ.

Vindex est cui magnæ Apollo linguæ.

Quem dices peto Cantium ? loquaci

Strictos dum labio parat lupatos ;

Diffamare vetans Apollinari

Orâclo, potiorq; veriorq;

Vates. O procul hinc citus facesse,

Cum Cantore tuo canens Horatî !

Falsi, CANTIVS, omne crimen oris

Quando vindicat est Apollo solus.

MATTHIAS RADOMICKI, Castellaniides.  
Calissien. Auditor Dialectice.

XIV.

B

Lingua



*Linguae male frenum bonum ponit.*

*Diffamare caue nam reuocare graue.*

**L**ingua malum: linguæ posuit bona frena Beatus,  
Hæc tibi Zoile sint: si bonus esse cupis.

ANDREAS BABSKI, Castellaniides,  
Becensis. Auditor Dialectica.

XV.

*Disputat cum quibus publicè, eos priuatim adit,  
& deprecatur: si promouendo argumenta  
aliquo modo commouit.*

**P**ublica Doctorum quoties certamina, verum  
Scrutaturus adit, pugnat & ingenio.

Ostia mox idem verrit cuiusq; precando,

Per mouit si quem fors ratione suâ.

Maiorem CANTI palmâ dic quando mereris ?

Quando canis ? recanis vel mage victor Io ?

IOSEPHVS, SELVSZKA, Thesaurar.  
M. D. L. Aud. Dial.

XVI.

*Præco verbi Diuini zelosus*

*Manuscripta Concionum eius supersunt.*

**D**iuini Præco verbi quam sana fidei

Pascua, veridico protulit ore gregi ?

Muta loquuntur adhuc nobis monumeta laborum

Illius, & spirant dogmata sancta Viri.

ANDREAS KRZYCKI, Succamierar.  
Califfien. Auditor Dialectica.

XVII.

*Pastor Ecclesiæ Ilcussiensis per quinquennium.*

**N**escio Doctoris melius Pastoris an ille

Egerit officium ? plenus ubiq; Deo.

Cracia Doctore at Pastore Ilcussia gaudet,

Vtraq; sub tanto iure beata Viro.

Quæ tamen his potior ? profert Ilcussia plumbum ;

Aurum Cracia sed : nam sacra busta viri.

Stanislaus Morski Procillatorides So-  
chaczouien. Auditor Dialectica.

XVIII.

*Peregrinus Romam & Hierosolymam.*

**D**octor at ille tamen nil profecisse putabat,

Sacrum calcaret ni pietatis iter.

Ac ideo



Ac ideo toties lustrat sacra limina Petri,  
Et Christo pressas pergit, adire vias.

ADAMVS Drzewicki. N. T. Aud. P.  
XIX.

*Hierosolymis lacrymis loca sacra irrigat vberimis.*

*In luctu non est importuna narratio Cantus.*

Vita imitatus auct sectari corpore Christum :  
Hinc quam calcauit visere pergit humum.  
Irrorat lacrymis largè loca sacra refusis,  
Seruus amans Domino compatiturq; suo.  
In luctu importuna cui narratio Cantus?  
Diluit hoc lacrymis Cantus ipse suis.

MARCUS GOTTA RDVS Comes à Butler  
Capitaneus Prenensis Auditor Eloquent.  
XX.

*Peregrinus Romæ & Hierosolymam. Comprensor an Viator magis?*

Limen adit Petri, Solymæ vestigia Christi  
Diffuus in lacrymas irrigat illa pias.  
Corpore fixa polo pia mens, defertur in astra:  
Comprensor magis an ille viator erat?

SIGISMUNDVS à Szczekarzowice TARŁO,  
Castellanides Premysliensis, Auditor Eloquent.  
XXI.

*Romæ de peregrinatione disputat*

Disputat & quater est Romæ peregrinus : vt illi  
Lectio lecta semel, mox repetita placet!  
Actu perficitur semper speculatio : quare  
Ad praxim reuocat, quod meditatur iter.

IOANNES Comes à Butler Capitaneus  
Neoburgensis. Auditor Eloquentie.  
XXII.

*De Peregrinatione disputat & quod ore asserit opere complet.*

Disputat ore, opere at concludit in ipso :  
Verbis illius quis neget oro fidem?

SIGISMUNDVS Victor Comes à Donhoff  
Capitaneus. Velunen. Aud. Eloqu.  
XXIII.

*Spoliatur à prædonibus quos simplicitate suâ viciit.*

Prædo viatorem rapto spoliauerat auro :  
Prædonem oblato (mira!) viator eo.

STANISLAVS DOMINICVS Comes à Teczyn  
OSSOLINSKI, Capitaneus. Petricouien. Aud. Eloqu.  
B2

Canta



## XXIV.

*Cantat vacuus coram Latrone Cantius  
Reliquum auri prodens prædonibus.*

**C**Antabit vacuus coram latrone viator:  
Dic age quis luni? Cantius ære dato.

ALEXANDER de Słupow Szembek Capitaneides  
Becensis. Auditor Eloquentia.

## XXV.

*Auro dato prædonibus quod se habere per obliuionem negauerat,  
ad poenitentiam eosdem conuertit.*

**A**Vrum per mediū didicit Doctore docēte,  
Ire satellitium; sed sine fraude malā  
Par eat & perrumpere saxa potentius ictu  
Fulmineo; fædā sed sine cæde tamen,  
Hæc ijt, hæc redijt, conuertit saxea corda;  
At non euertit: per mala quanta bona!

IOANNES TVCHOŁKA, Succamerarides  
Marienburgensis. Auditor Eloquentia.

## XXVI.

*Amore in Deum ac proximū ardet, incendiū Crac. oratione sedans.*

**A**Rdet amore Dei Diuus; sed non minus illum,  
Vrbe flagrante vrget proximus Vcalegon.

Stephanus Przeremski, Capitaneides Tusineh,  
Auditor Eloqu.

## XXVII.

*Incendium comprimit & prædicit simul.*

**C**ompressit flammās ignis prædixit & idem;  
Hoc vtrumq; sibi conueniebat enim,  
Incantare pijs & decantare pericla  
Vocibus; hoc proprium Cantius ipse tulit.

GEORGIUS Morski, Pocillat: Sochaczowien.  
Auditor Eloquentia.

## XXVIII.

*Vestem nudo pauperi dat & à Virgine Matre eandem iterum recipit.  
Iucundus homo qui miseretur & commodat.*

**C**ommodat? an donat nudo sua pallia Diuus?  
Commodat: hæc sibi nam Virgo Maria refert.

Casimirus Lubinski, Vexillif. Sira-  
dien. Auditor Eloquentia.

## XXIX.

*In idem. Omnes Domestici eius vestiti sunt duplicibus.*

**M**iraris, vestem reddit cur Virgo IOANNI?  
Quâ per eum tectus nuper egenus erat.

Vnica



Vnica tum fuerat Mariano vestis alumno :

Altera cum nudi cesserit obsequio.

Erubuisse enim, si veste domesticus vnâ

Effet ei, vestit quæ omnia duplicibus.

*Ioannes Kassowski, Castellani. Vendenf.*

*Auditor Eloquen.*

XXX.

*Calceamēta pedibus detrahit & egētibz dat. Moyses ad rubū ardentē.*

**A**rdentis ad rubi resoluerat semel  
Sua calceamenta pecorum sacer vigil

Moyse. Egenum Cantius quoties videt,

Frigore rigentem protinus Deum putat.

Et calceamenta ; proprijs pedibus celer

Exsoluit. In oculis erat Moyses, virens

Rubus simul & ardens ; Deus sed Cantij

In corde viuens, Charitasq; ardens fuit.

*Ioannes Romiszowski, Ensisfer.*

*Lencicen. Auditor Eloqu.*

XXXI.

*Vas fractum misericordiâ motus redintegrat, interger Plastes.*

**F**rangitur ad planctū fractæ cum vase puellæ :

Integer est Plastes, integra vasa facit.

*Michaël Ochtopowski, Thesaura.*

*Wotynen. Audit. D.*

XXXII.

*In idem Cantius Amphion.*

**C**antius admiranda canit, fractumq; suâui

Vas iubet ad formam voce redire suam.

Ergo ementitus procul Amphion procul esto !

Hanc rupta insequitur nam mage testa lyram.

*Nicolaus Romiszowski Ensisfer. Lencicen.*

*Audit. Eloqu.*

XXXIII.

*Aquam in Lac commutat.*

**Q**vis precor est qui lacte facit manare Rudauam ?

Nomen quod meruit Matris an ille Patris ?

*Stanislaus Xiecki, Vice-Capit.*

*Crac. Aud. Eloqu.*

XXXIV.

*In idem. Maius erat lac ex aquâ fecisse quàm vinum.*

*Et maiora his facietis.*

**C**

Et



**E**X vndâ vini potum fecisse suauem :  
Prodigium ? Christus condidit istud opus.  
Ex vndâ lactis potum fecisse cibumq ;  
Prodigium est ! operis Cantius author erat.  
Est minus ex vndâ potum : potoria cum sit ;  
Maius erat potâ progenerasse cibum.

*Hieronymus Ochłopowski, Thesaurar.  
Wotyneh. Aud. Eloqu.*

XXXV.

*Alumnus misericordiæ debuit esse misericors.*

*Ante misericordiæ imaginem continuis precibus vacat.*

**A**D-Misericordiæ vigilat imaginem  
Intentus : hinc magnæ Parentis vbera  
Sugens ; at istinc filij roseaceis  
Torrentibus , largè fluentia vulnera :  
Cœlestium conuiuia felix mentium.  
Iam parce quærere, cur miseriam proximi.  
Tangatur ita Cantius ? Alumnus debuit  
Non nisi misericors esse Misericordiæ.

*Adamus Xięski Vice-Capit  
Crac. Aud. Eloqu.*

XXXVI.

*Ab eâdem imagine toties consolantem se vocem audit.*

**R**espondet querulo patiens ab imagine Iesus,  
Et gemebunda simul Virgo Maria Parens.  
Cur precor ? ad cantû Cithara hunc ex surgere Christus  
Psalteriumq ; suum debuit ipsa Parens.

*Bonauentura Dziłboni, Vice-Palat.  
Checin. Aud. Eloqu.*

XXXVII.

*Datum pauperi frustum carnis miraculosè recipit.*

**A**bsumunt alij bona ; sed tu Diue resumis :  
Absumenda alijs cum tua frustra refers.

*Albrachtus Dębinski, N. T.  
Auditor Eloqu.*

XXXVIII.

*In idem. Charitas deperditas partes restaurat.*

**V**nâ duo vescuntur offa carniū  
Vnâ sed integrâ tamen licet duo.  
O charitatis ardor, absumens nihil !  
Deperditas sed corporum partes, satis



Superq; restaurans! foci instructior  
Paratiorq; charitas vna omnibus?

*Ioannes Dziboni, Vice-Palat. Cbęcinen.  
Aud. Eloqu*

XXXIX.

*Doctor Theologiae creatus perpetuò sibi carniū esu interdixit,  
& supra Mattheum quatuor tomos scripsit.*

**F**actus, perpetuò sibi carnibus interdixit,  
Doctor Theologus. Cur ita forte petis?  
Debuit vniri commissa potentia rebus  
Obiectis, operam mensq; referre suam.  
Angelus est Mattheus: ei conformis vt esset  
Exprimit ingenium mens sine carne suum.

*Stanislaus Krzeß,  
N. P. Aud. D.*

XL.

*In idem. Quorum Deus venter est non sapiunt.*

**I**eiunus mentis Diuinas Cantius escas  
Quærit: an has, venter quæis Deus inuenient?

*Simon Raciborowski,  
S. T. Aud. Eloqu.*

XLI

*Carnis appetitum assâ carne extinguit, sacra fames.*

**A**ssâ carne tuæ carnis certamina frangis:  
Sacratissima tu, non modò sacra fames!

*Alexander Pinocci.  
N. T. Aud. Eloqu.*

XLII

*In idem. Extra corpus satura fames.*

**E**suritit malesuada fames in corpore Cantî:  
Quid faciat? stimulum quomodò carnis agat?  
Offa feruenti pallentia membra perungit:  
En extra corpus mox saturata fames!

*Casimirus Nicolaus, Dux in Kiewan Czarto-  
ryski Succamerar. Crac. Stud. Poët.*

XLIII.

*In idem. Fraudis artifex fraude perit suâ.*

**A**D carnes Diui vetitam stimulauit orexim  
Tentator: victus carnibus arsit iis.  
Fraude peri subuerse tuâ! non pulchrior ars est:  
Fraudis vt artifices arte perire sua!

*Franciscus Zegocki, Palatinid.  
Inouladislauiën. Stud. Poët.*



XLIV.

*Missam hyeme celebrans à Demone in specie hirundinis turbatur.*  
*Discors musica tanta sacris.*

**C**Antius altari canit, at vocalis hirundo  
 Obstrepit: est discors musica tanta sacris.  
 Cantu non strepitu celebratur hirundo canora:  
 Sed crepet ad lapidem quæ cecinisse nequit.

*Franciscus Ossolinski, Castell.*  
*Cernens. Aud. Poët.*

XLV.

*Hirundinem sacris operatus cepit, quæ solo allisa in draconem*  
*vertitur & disparet; Decepit magis quàm cepit diabolus.*

**C**Eperat: an potius volucrem deceperat Auceps  
 Mirificus: nodum soluite quæso mihi?  
 O deceperat hanc satius! cum in limine templi,  
 Ex templo draco fit dirus, hirundo volans.

*Theodorus Comes à Butler,*  
*Succamerar. Regni Aud. Poët.*

XLVI.

*In idem. Malis auibus bona peragit Cantius.*

**F**Alleris ô quicumq; bonis auibus bona tantum  
 Prouenisse putas: Cantius ista negat.  
 Alitis ille malæ bonus esse sub auspicio non  
 Destitit: In medijs sunt bona sæpe malis!

*Seciechus Ossolinski, Castellan.*  
*Cernensis. Stud. Poët.*

XLVII.

*Stipendium Professionis suæ pauperibus distribuit.*  
*Non pinguis Minerva.*

**Q**uæsitum multo semper sudore mineral,  
 In miseros largâ dissipat ille manu.  
 Overè non pinguis erat tibi Diue Minerva!  
 Quam tali noras exte nuare modo.

*Stanislaus Stokowski, Castellan. Oświęcimien.*  
*Stud. Poët.*

XLVIII.

*Supra Mattheum quatuor tomos scribit.*  
*Sint lucerne ardentes in manibus vestris.*

**C**ur lumen Matthei tuis accendit in Actis?  
 Quatuor illustrans dogmata sacra tomis.

Debuit



Mandatum Domini factis vt compleat :ardens  
Debuit in manibus stare lucerna suis.

Alexander Comes à Butler,  
Succamerar. Regni. Stud. Poët.

XLIX.

Tres tomos natus annos 71. scripsit, reliquâ ætate quartum.  
Phoenix in ipso busto vitalis.

I Am senio cumsumptus erat, viresq; labori  
Defuerant; tamen haud Cantius vsq; vacat,  
Altera Phoenix est busto vitalis in ipso,  
Maturâ vitam cum sibi morte parat.

Hieronymus Kurdwanowski, Castellan.  
Zauichosten. Stud. Poët.

L.

Patientissimus iniurijs illatis referebat medicinam Vt SV PRA

T E quoties Canti feruens iniuria preffit,  
V T SV PRA tibi tum cantio sueta fuit.  
Cantius es cum deprimeris celer occinis Altum V T  
SV PRA: Bassum cum tolleris ipse canis.

Jacobus Belchacki, Castellan.  
Peluneh. Stud. Poët

LI.

Hyeme nudis pedibus Ecclesias visitat.

C Olligito quantis ardoribus ille flagrauit;  
Pectus vbi proprium Dius adussit amor  
En pedibus nudis hyemes confutat acerbis!  
Visitat & feruens templa sacrata Deo.  
Accusatur hyems sæuæq; iniuria brumæ;  
Ast tunc ipsa datam pertulit inuidiam.

Dominicus Stuska, Thesaurar.  
M. D. L. Stud. Poët.

LII.

Coetaneos probate sanctitatis viros quinq; habuit cum quibus con-  
uersatus est. Harmoniam efficit Cantius

C Antius Harmoniam viuens qualem dedit audi?  
Quinta fuit concors seu Diapente magis.  
Quinq; fuere viri: Suentoslaus atq; Michæel  
Isaias Simon, Stanefilaus item.

Vna fides horum, concorsq; per omnia vita:  
Addidit his dulcem Cantius harmoniam.

Sigismundus Lubinski, Vexillif.  
Siradien. Stud. Poët.

D

In idam



*In Idem. Sex sidera Polonum orbem illustrantia.*

**S**ena Craci simul illustrarunt sidera sedem;  
**S**O Synodus summi præuia causa boni!  
 Erronum numerum non compleuere, manent hæc,  
 Fixa Polone tuum sidera præsidium.

*Ioannes Bardzinski, Notar.  
 Lenciceh. Stud. Poët.*

*In Idem. Sextilis aspectus felix.*

**F**elices animæ! felicia tempora mundo  
 In vestri redeunt cardine curriculi.  
 Aspectus celsis visus sextilis in astris  
 Mærentis nebulas dissipat orbis atras.  
 Conspectu vestro Lechicus quæ non tulit orbis,  
 Incrementa suæ prosperitatis ouans?

*Michaël Dux in Klewian. Czartoryjski,  
 Succamerar. Crac. Stud. Gram.*

*In Peruigilio Natiuitatis D. N. I. Ch. moritur.*

*Qui mortuos 24 ad vitam reuocat.*

**M**ortuus es mundo, vitæ nascente Ioannes;  
 Vt viuât per te, mortua tanta cohors.

*Ioannes à Szczekarzowice Tarlo, Pa-  
 latinid. Sandomirien. Stud. Gram.*

*Aperto sepulchro exhalant dulcem violæ odorem lipsana eius.*

**E**xhalant dulces violas pia lipsana Diui?  
 Cur violas? humilis flos fuit ille recens.

*Stanislaus Koniecpolski, Palatinid.  
 Parnauich. Stud. Gram.*

*Dæmonia fugantur ad preces eius.*

**D**æmonium citharæ cantu compescere Dauid  
 Si valuit; quidni Cantius istud agat?  
 Soluitur obsessus liber: maledictus ut istam,  
 Primum percepit spiritus harmoniam.

*Albertus Casimirus Dabfski, Castellanus.  
 Becens. Stud. Gram.*

*Viginti quatuor mortuos ad vitam reuocat.*

**E**lisit fauces fati, te Diue fauente,  
 Hæc rediuiua iterum bis duodena cohors.

**Quod**



Quòd si verus honos, post fata suprema recurrit  
Non nisi; verior hic contigit oro cui?

Lucas Makowiecki, Capitā. Tre-  
boulieſ. Stud. Gram.

LIX.

*Phreneticos sanat.*

**M**Entis inops, ratione carens, raptusq; furore,  
Sanatur, cum fert Cantius auxilium.

Doctum Asclepiadem cantu curare Phrenesim,  
Nemo iam crepet! hoc Cantus & ipse facit.

Vladislaus Przerembski, Capitā.  
Tuſſinen. Stud. Gramm.

LX.

*Paralyticos curat.*

*Nil est in intellectu quod prius, non sit in sensu.*

**N**il capit intellectus in imo quod prius absit,  
Sensu: suppressis hæc dogmata Diue Sophum  
Quinq; fuere viri sine sensu corporis; at hi  
Intellexerunt te medicum esse suum:

Vladislaus Mierzwinski, Capitaneid:  
Itzen. Stud. Gramm.

LXI.

*Varijs morbis laborantes saluti restituit. Dux receptui canit.*

**A**dsit mæstus, inops, egenus adsit.

Adsit febricitans, grauiq; pallens  
Membrorum macie: peremptus vndis,

Et fati subitaneâ procellâ

E vitæ statione pulsus adsit,

Surdus, lippus & vlcerosus & cum

Claudo, rancidus, à malo superbè

Vexatus Genio, Herculisque casu

Collisus misero: quot vspiam sunt,

Morborum reliquæ solo cohortes!

Sublato veluti ruant frequentes

Signo! Cantius vniuersa quæuis

Malorum agmina, proximam salutis

Ad portam reuocabit, ipse lætum

Dux Pæana receptui canendo.

Nicolaus Przerembski, Capitā:  
Tuſſinen. Stud. Gramm.

LXH.

*In Vniuersitate Cracouiensi Doctor Cantius.*

D2

Viuer-



*Vniuersitas ipse virtutum.*

**I**N Vniuersitate Doctor Cantius,  
Cultus scientiis vt esset omnibus:  
Arcana facultatis omnis dogmata,  
Recondit intimo recessu pectoris.  
Philosophus abstinet simulq; sustinet.  
O portio Philosophiæ! prima intima  
Iuris peritus, iurgia atque iniurias  
Cauendo conturbare diffamareque  
Compescit: ô summo absque lure, maxima  
Iustitia! sacra quid sit eius Laurea,  
Matthæus Angelo, tomis in quatuor,  
Totum relinquit explicare, proprio.  
Medicum caue negaueris, Machaone  
Ipso peritiorem! habentibus malè proximam,  
Qui mille semper fert opem cohortibus.  
Hac Vniuersitate quid peto doctius?  
Hac Vniuersitate quid item sanctius?

*Andreas Iordan, Capitaneid;  
Krosnen: Stud: Gramm:*

LXIII.

*In Miraculum, aquam in lac conuertentis.*

**H**ydria dat vinum cœlesti vite refusum;  
Integer hîc fluuius lactea dona dedit.  
Cum Domino largitor eras bone Serue bonorum:  
Ambo magnifici; quis mage munificus?

*Stanislaus Przerembski, Capitaneid;  
Tussinen: Stud: Gramm:*

*In idem.*

LXIV.

Amphora fracta fuit: propriæ mox reddita formæ:  
Haurit aquam; sed lac reddere iussa, dedit.  
In partes quot fracta fuit, sexangula scripsit  
Sidera tot, niueo candida lacte notans.  
Amphora cœlestes tenet, & via lactea sedes,  
Quo merito? tali dignior ista loco.

*Michaël de Stupow Szembek,  
Capitan: Becen: Stud: Gram:*

LXV.

*Absorpti vndis, patrocínio eius vitæ restituuntur.*

**A**bsorpti fluuiis per te meritissime CANTI  
Viuunt; nutriti lacte Patrone tuo.

Non



Non semel hoc valuit tua dextra creare, Rudauæ  
Profluuiò: potis est & recreare modò.

Vladislaus Mierzwinski, Capitaneus

Ilzen? Stud: Gramm:

LXVI.

*Confractis manibus pedibusque, eius ope sanantur.*

**L** Vxatis membris, confractis cruribus, ad te  
Sano perueniunt, Diue Patrone, pede.

O Medicina potens! quæ concurrentibus ad te  
Ipsamet occurris, cunctaque sana facis!

Ioannes Dabbski, Vexillif: Zatorien:

Stud: Gramm:

LXVII.

*In idem.*

**Q** Vid mirum? celeri passu si currat egenis,  
Laturus certum CANTIVS auxilium?

Cùm toties loca sacra calens pietate reuifit:

Ire celer didicit tum peregrinus iter.

Nicolaus Milonski, Dapiferid:

Lencicen: Stud: Gramm:

LXVIII.

*Magna semper frequentia hominum ad sepulchrum eius  
confluit. Orpheus est.*

**I** Nnumeris conferta globis, ad lipsana Diui,  
Concurrit populi, sacra, profana cohors.

Sacrorum curatores, votiua tremendi

Muneris expediunt, ad sacra busta Viri.

Ignibus accensis plebes altaria cingit:

Figuntur tabulis, cerea vota datis.

Quo trahitur tantis onerata frequentia donis?

Quæ precor arcana est, vis ita cuncta mouens?

Orpheus est, filuæq; feræq; metallaq; cantum

Excipiunt: genus, hic dum canit, omne salit.

Georgius Komorowski, Vice-Capitan:

Neopol: Audit: D.

LXIX.

*Comparatio facti Sancti Martini cum facto Cantii.*

**D** At propriæ partem chlamydis Martinus egeno:

Integra Cantius ast pallia donat ei.

Vtraq; vestis erat Christo donata; sed vtraque

Haud Christi fuerat: non paradoxa loquor.

E

Altera



Altera diuiditur; donatur at altera tota;  
Vni semper adest vnio grata Deo.  
Cum vestis Christi scindi nesciuerit vnquam;  
Collige nunc; ex his illius utra fuit?

*Petrus Romiszowski, Ensisferid: Lencien-  
censis, Stud: Gram.*

LXX.

*In idem.*

**R** Eddidit hanc vestem Mater, quam Cantius, eius  
Nato tradidit: hanc tectus egenus erat.  
Ostendit Christus tantum, non reddidit illi,  
In nudi qui se corpore texit eques.  
Cur ita? non eadem meruere stipendia: namq;  
Hic tyro fuit; is iam veteranus erat.

*Michaël Miloniski, Dapiferi: Lencien-  
LXXI. Stud: Gram.*

*Doctor Cantius omnibus factus est omnia.*

**A** Lget quis? alget Cantius, mox detrahens  
Et calceamenta pedibus & humeris togam;  
Habet obuium si quando nudum pauperem.  
Plorat quis? ille non minus plorat: flagrat?  
Et ille flagrat; proximi tenerrimus,  
In lacrymas, flammascq; subito sic amor  
Viscera sua eliquat! esurit quis? esurit  
Idem, suum fraudando genium, proditis,  
Fame stupente propria, alteri cibus.  
Cum carne, certat carnibus feruentibus,  
Semet spoliatur auro dato spoliantibus  
Prædonibus. Doctor, pares brutis rudes,  
Animat suis rationibus; sed & ipsamet,  
Orationibus piis, morientia  
Mox bruta vitæ restituit animalia.  
O Doctor Vniuersitatis inclytus!  
Vt factus omnibus vnus omnia Cantius!

*Hyacinthus Moriski, Pocillator.  
Sochac. Stud. Gram.*

LXXXI.

*Angelus roseam illius capiti & lauream Coronam offert.*

**A** Ngele, bina ferens nostro stephanomata Diuo:  
Dic age, cuiusnam texuit illa manus?  
Dius Amor, roseam proprijs produxit ab hortis:  
Quæis sibi sacratam scit viruisse rosam.

**Laureo-**



Laureolam Doctōri Matthēus nexuit ipse :  
Emeriti gratus namq; laboris erat.  
Creditis ? hęc illius ego comes, ipse ferenda  
Suscepi, iubet hoc Doctōr, Amorq; simul.

*Franciscus Milowski, Dapifer.  
Lecicens. Aud. Gram.*

LXXIII.

*Sceptra decussatim posita Academiae  
Cracouiensis Insigne tenet.*

**S**ipluit infestas Otomanica luna procellas ;  
Ne timeas eius Sarmata fortis opes :  
Si parte ex aliā quæcunq; potentia terret ;  
Ne timeas, certam promptus habebis opem.  
Sunt aliunde tuis prompti occurrere periclis :  
Cantius hoc signo, si Crucis hostis erit.

*Georgius Komorowski, Vicecapitan.  
Neop. A. D.*

LXXIV.

*Inclita Domus maior, miraculo restituti frusti  
carnis Diuinitus, Ioanni Cantio, mota ;  
Pauperem continuo alit : & non pauperem,  
sed Christum venire ad mensam profert.*

Pauper adest ? non ; Christus adest Domus inclita dicis.  
Te docet exemplo Cantius ista suo.  
O Doctōr felix ! Academia quando vel ipsa,  
In pietate tuo proficit auspicio.

LXXV.

*Ioannes Wizemberk,  
Aud. Eloqu.*

*In Idem.*

**S**imul scientiam atq; misericordiam,  
Docuit in Vniuersitate Doctōr CANTIVS.  
Quidni scientiam atq; misericordiam,  
Doceat & Vniuersitas post CANTIVM ?  
Vnum diurnā pauperem mensā fouens :  
O verius Christum ? scientiæ simul  
Et misericordiæ Parentem maximum.

*Michaël Gotuchowski,  
N.P. Aud. Eloqu.*

LXXVI.

*Decanus Philosophicæ Facultatis electus, epomide  
illius induitur.*

**E**Lias chlamydem proprio demisit alumno.  
Protinus, vt duplex Spiritus esset ei.

E 2

Præsidi-



Præfidibus mens, Stoa tuis, vt recta supersit :  
Contegit hos propriâ veste, Propheta tuus.

Franciscus Szembek

Burg. Crac. Stud. Gram.

LXXVII.

*Vestis eius asseruatur vilior panno contexta.*

**S**i vestis rudior tibi contexta videtur  
Panno; falleris, est hæc pretiosa nimis.  
Induit hanc formâ speciosus & aureus ille :  
Tractauit manibus Virgo Maria suis.

Hieronymus Krasucki,

Burg. Crac. Stud. Gr.

LXXVIII

*Imago V.B.M. & Christi, ante quam noctibus vigilando orare solebat, translata in Ecclesiam D. Anne, redit in locum, in quo modò cernitur, vt relatio antiqua habet.*

Beati qui vigilat ad postes ostij mei.

**I**n sedem propriam translata reuertitur leon.  
Ostia maioris suspiciendo Domus.  
Ad postes ita cum doctæ Sapientia Stoæ  
Euigilat, tibi quid dic studiose velit ?  
Edocet, ad proprium limen vigilare, Beati  
Exemplo, seruos Virgo Maria suos.

Stanislaus Komecki,

N. T. Aud. Elog.

LXXIX.

*Præses Academici Parnassi Cantius.*

**D**icite Gorgonei celeberrima numina collis ?  
CANTIVS a cantu, num benè dictus erit ?  
Annuitis ? procul ergo canens hinc ibis Apollo,  
Pernassum reget at Cantius ipse meum.

Petrus Zarzycki, Vice Cap. Lanckoron.

LXXX.

Stud. Gram.

*Classium vt vocant Vladistauiarum Cynosura.*

**O** Cracij fulgens iubar, atq; lucerna Lycæi !  
Sarmatici decus ô delictumq; soli !  
Castora habent nautæ : tu nostris, semper amicum  
Classibus es fidus : tu Cynosura nitens.

Stanislaus Walowski,

Aud. Dial.

LXXXI.

*Hymnus Ioanni Cantio ad septem horas, septem choris distinctus. Et scientiâ & probitate floret.*



**E**la Diuinas, mea lingua, laudes,  
Profer : & Diui celebrando CANTŭ  
Gloriam, flexo venerare summum  
Poplite Numen.

Flos in Hyblæo Craciæ roseto,  
Gloriæ fructus tulit eruditæ.  
Artis & vitæ paritèr probatæ, Ipse Magister.

*Stanislaus Tegoborski, Pocill. Nowoh. Aud. Dial.*

LXXXII.

*Matrem misericordiæ & Crucifixum veneratur.*

**C**ultor immensæ Triados celebrat,  
Hæc duo semper : veneranda Matris  
Vbera, & passî pretiosa multum Vulnera Nati.

*Casimirus Oborski, Stud. Poët.*

LXXXIII.

*Fictile vas fractum formæ suæ reddit.*

**F**ictilem sexta Deus elaborat  
Conditor testam : redigit Ioannes  
Vasis effracti seriem : quis ille est :  
Doctor an author ?

*Casimirus Rapszynski, Aud. Eloqu.*

LXXXIV.

*Incendium sedat oratione.*

**I**gnis aut æstûs rabiem furentis  
Ecquid horrescas ? vbi dextra magni  
Temperat Cantî, procul exul inde Sæua procella.

*Ioannes Wielogłowski, Stud. Poët.*

LXXXV.

*Dæmonia fugantur ad preces eius.*

**C**edit inferni furor, & fatiscit  
Diaboli virtus : fugiunt repente  
Asperæ clades procul, inuocato Nomine Cantî.

*Michaël Gotuchowski, Aud. Eloqu.*

LXXXVI.

*Mortuos suscitât.*

**V**ita, quinimò Libitina Diui  
Dexteram sentit quoties patroni :  
Sanitas ægris, data vita, vitâ. Iam propè functis.

*Georgius Paczanowski, Stud. Poët.*

LXXXVII.

*Præsidium Lechiæ.*

**E**rgo Lechæ bona planta terræ !  
Pande felices proprij precamur



Præfidi ramos ? & utroq; fias

Tegmen in æstu.

*Jacobus Rayfki, Stud. Rhet.*

LXXXVIII.

*Ut Patriæ solo, sol luceat serenius, imploratur.*

**D**ive Parens Canti Lechici lux inclyta regni!  
Inprimè quæso tuo cuncta serena solo.

Eiaceler perturbatos solare Polonos,

Continuò mala sic quos decumana premunt.

Gratia dat nomen tibi : dat cognomina Cantus :

Exhilarés precibus Regna Polona tuis.

*Stanislaus Walewski, Stud. Poët.*

LXXXIX.

*Periclitanti Reipub: naui salus.*

**V**ndiq; Sarmaticam centum cinxere procellæ

Nauem ; quem portum Castora quemue petat ?

Tu proreta suus, tu Dux ac ipse celeustes :

O cane nauigio dulce celeusma tuo.

*Albertus Gossawski, Aud. Ph.*

XC.

*Pater Patriæ ut succurrat miseris, appellatur.*

**M**ille malis & mille Polonia pressa periclis,  
Exterius feruens interiusquè simul.

Auxilijs orbata suis, orbata probatis

Consilijs, quid agat? non capit ipsa satis.

Te vocat instanter supplex ô Diue IOANNES!

Te Patrem Patriæ poscit habere suum.

*Ioannes Zabieliski, Aud. Eloq.*

XCI.

*Laudate Dominum in Sanctis eius.*

**I**n Sanctis Dominus laudetur ut : omnia vocem

Tollant : præcentor CANTIVS ecce subest.

*Dominicus Paszkowski, Aud. Phil.*

XCII.

*Serena dies.*

**C**ingite Pierides florentia tempora lauru!

Aurea felicem sæcla tulere diem.

Præmia propositi pridem laturus honoris

CANTIVS assurgit. Læta serena dies!

*Antonius Porembski, Aud. Dial.*

XCIII.

*Memnone non est opus.*

Quando



**O** Quando venies & quando serena refundes  
Lumina! tam sero sole negata dies.  
Nascere decreti cælo terrâque IOANNES  
CANTIVS vt tandem plenus honoris eat.  
Rumpe moras opus est Phario tibi Memnone nusquã:  
Orto vt sole canat: CANTIVS istud aget.

*Sigismundus Wilczewski, Aud. Elog.*

XCIV.

*Bonum Omen.*

**A** Mica virtus misericordiæ, sua  
Germana vel potius soror clementia:  
Clementibus fratrum, misericordes, loco  
Adiunxit. O cognationis istius  
Pulcherrimæ, Symmetricam quis imaginem  
Nunc exprimat nobis! Misericors Cantius,  
Vnaq; Clementissimus Princeps, bonis  
Ecclesiæ nuper Auibus, CLEMENS datus.  
Hic misericordiam, per ipsummet DEVM  
Remuneratam Cantij, postquam suã  
Promouerit Clementiã. Quid Cantio  
Tum clarius? CLEMENTE quid clementius!

*Hyacinthus Lopacki Aud. Elog.*

XCV.

*Bonum iterum ex nomine Omen.*

**V**lcinus ita virtute misericordiæ  
Clementibus, qui præfident Ecclesiæ,  
Pastoribus: Nono suam requirit à  
Clemente lauream. Quid ita? Clementia  
Expressa, lectaq; literis mundo nouem,  
CLEMENTIS in NONI auspicato nomine,  
Cupit esse Amica misericordi CANTIO.

*XCVI. Franciscus Alankowski*

*Aud: Phil.*

*Auspicium certum.*

**H**Uc flores, huc ferta tuis Academica Pallas  
Lectos ex hortis, funde refunde celer.  
Ignibus astra micant lætis, quos SIDVS OLORIS,  
Accendit propriis nunc tibi luminibus  
Tessera Sarmatici Regni, Regina volucrum  
CANTII ab Illustri tendit in alta rogo  
Cum petis illato cælis vt dentur honores  
Diuo; CLEMENTIS gratia, fiet ai

*Ioannes Rolinski*



XCVII.

*Quater Viator Romam, quinto nunc Comprênsor  
adit.*

**J**Bis iam quintò CANTI Comprênsor in Urbem;  
Ingressus quater es qui ante Viator eam.  
Lustrâsti quater hanc semper meliorq; redisti  
I nunc! ô bonus i! Sanctus & inde redi.

*Adamus Zabawski Aud: Eloq.*

XCVIII.

*Hecatombe vnus CANTIVS.*

**H**Ostijs, centum celebrare summum  
Numen, in cultu tibi destinato,  
Gestijt nostræ studium Camœnæ,  
Diue IOANNES.  
Victimam sed te dare singularem,  
Mille virtutum cumulatam aceruis  
Sufficit: fiet satis vnico te  
Ritè litatum.

*Ioannes Swicykowski Aud: Phil.*

XCIX.

*Hecatombe seu Ora Centum deuouisse non sufficit.*

**O**Ra tibi centum, centum tibi corda loquuntur,  
Quid? nequeunt de te, dicere mille fatis.

*Matthias Walawski Aud: Phil.*

C.

*Amen, omen.*

**D**esine Musa loqui: tantat iam CANTIVS, omena  
Dicere amen volui: fiat id omen ei!  
O cantabis io! merito clarebis honore!  
Auspicium tibi fert SIDVS OLORIS enim.  
Cur non ante precor? fuerant quoquè fidera Petri  
In Speculâ: tantæ quid volucre moræ?  
Sic fatis placitum est: exortum SIDVS OLORIS  
Vt canat: est Sanctus CANTIVS: eia canat!

*Albertus Chrzastowski, M. P. Aud. Ph.*

A. M. D. G. V. B. M. OO. SS. C. V. P.



KSIĘGOZBIÓR  
MARCINA ZAMOYSKIEGO

1081-KZ

1081

-KZ